

42. Mathematicæ disciplinæ considerant quantitatem tam numerabilem, quam mensurabilem, jam abstractam à corpore, ut Geometria de quanto, Arithmetica de quoto; jam cum materia aliqua concretam, ut Astronomia, Geographia, Optica, Harmonica seu Musica, & similes: quæ quia quantitatem tractant materiæ confusam & sensibili aliqua qualitate præditam, scientiæ physicæ sunt finitimæ, & problemata habent scientijs mathematicis & physicis communia, adeoque subalternatæ sunt puris illis disciplinis mathematicis, quæ removent cogitatione subjectum, in quo inest quantitas. Et quia hæ disciplinæ mathematicæ non tantum habent sua principia cognitionis, nempe 1. axiomata innata & per se evidentia, 2. definitiones seu propositiones antea ex axiomatibus demonstratas. 3. axiomatibus affinia *ἀιτήματα* seu postulata *ἢ ἰήματα*: sed & principia rei, nempe subjectum certum & varias ejus species: quemadmodum in Arithmetica est numerus & diversæ numeri species; in Geometria linea, circulus, angulus, figura, corpus; in Astronomia quantitas motuum cœlestium: propterea necessario, si distincta notitia in scientijs hisce est acquirenda, ordine synthetico progrediendum est, ut initio subjecti principia & affectiones in genere explicentur, & postea ad species fiat progressus, earumque natura & proprietates quoque investigentur.

43. Superest Metaphysica, quæ vocatur à philosopho philosophia simplex, vel philosophia prima, quia prima omnis entis principia & primas causas considerat, & incipiens à notioribus nobis, progreditur semper, remotis ambiguitatibus & explicatis analogijs, ad id, quod magis dicitur tale, tandemque pervenit ad id, quod maxime & simpliciter tale est, ad ens scilicet perfectissimum, DEUM. Unde etiam dicitur theologia naturalis & cognitio primæ causæ, quia ex omnibus entis affectionibus Deum invenit optimum maximum, & ab hac causa omnia dependere deinde docet. Quia igitur versatur circa ens omne, & quæ ei per se insunt; entis autem, ut & affectionum ejus vocabula, sint *πολλὰ ἁπλῶς λεγόμενα* & compositum quid, tanquam plura significantia, propterea lex ordinis requirit, ut à vocabulis istis analogis fiat initium, eaque rectè distinguantur, & postea principium omnis entis, quatenus ens est, quod est quidditas & forma substantialis independens, investigetur. Semper igitur à notioribus nobis progreditur, & ente, tanquam objecto primo cognoscibili, cognito, distingvit illud in specialiora